

XXI

2.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
OSSIFICATIONE
D V R A E M E N I N G I S
SINGVLARI OBSERVATIONE
CONFIRMATA

QVAM
FAVENTE SVMMO NVMINE
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D. ANDREA ELIA BÜCHNER,
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS, MEDICINAE
ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROF. PVBL. ORDINARIO, FACULTATIS MED. SENIORE,
REGIORVM ALVMNORVM EPHORO, IMPERIAL ACAD. NATVR. CVRIOS. PRAESIDE,
ET COMITE PALATINO CAESAREO, REGIARVMQUE ACADEMIAR.
SCIENTIAR. LONDINENS. BEROLINENS. ET MÖNSPELIENS.
SODALI,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRO
G R A D V D O C T O R I S
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS
DIE XXIX. SEPTEMBER.
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
F R I D E R I C V S L V D O V I C V S A L B R E C H T ,
COBURGENSIS.

HALAE, AERE BEYERIANO.

DISSERTATIO IN VINDICATIONIS MEDICO

DE CIRRHOSIS
CIRRHOSIS
DARVATICA
SIGNIFICATIVA

DANDREA HILLI THOMAS

LUDWIGICUS ADVOCACIA VITRÉOCH





DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
O S S I F I C A T I O N E
D V R A E M E N I N G I S.

§. I.

 Partes corporis humani solidas, respectu gradus cohaesio-
nis particularum illas constituentium, & inde penden-
tis duritiae atque molitiae, admodum inter se differre,
experientia docet.

§. II.

Offa durissimas constituant C. H. partes, quae ideo tan-
quam trabes atque fulcra toti machinae sustinendae inseruiunt.
Flexiores, sed simul etiam magis elasticæ sunt cartilaginiæ. Mem-

A 2

branae,

branae, vasa, musculi, cartilaginibus multo sunt moliores. Laxior tamen compages in visceribus quibusdam obtinet. Longe minor autem videtur esse cohaesio in nervis.

SCHOOL. Dum dicimus, cohaesione in nervis longe minorem esse, quam in aliis C. H. partibus, non hic intelligimus simul vaginam illam nervorum, quae expansio durae atque pieae matris est, atque nervos sub toto itinere per corpus comittatur, nisi illam nervi deponerent, dum ad partes ipsas perueniunt, vbi sensatio est perficienda, vel motus exercitandus. Sed tantum de nervo striete dicto sermo est, nempe de ipsa nervi substantia pulposa, quae eandem cum cerebri medulla naturam atque consistentiam habet.

§. III.

Inter singulas quoque hasce partes, quas modo enumerauiimus, magnam adesse obseruamus discrepantiā, si ad illarum diversos cohaesione gradus animus aduertatur, respectu diuersarum in scholis Veterum sic dictarum rerum naturalium.

§. IV.

Quando enim respicimus ad *aetatem*, videmus in infante recens nato omnia adhuc esse valde mollia atque pulposa quasi; in puerili vero atque adolescentili aetate laxior corporis habitus iam firmior evadit. Quando ad iuuenilem atque virilem accedit homo aetatem, laboribusque corpus magis exercet, semper maius corporis acquirit robur. Tandem in senectute omnia sunt rigida.

Quam

Quam necessaria sit haec fibrarum laxitas in iuniori aetate,
quoniamque habeat utilitatem, pereleganter exposuit illuſtr.
van SWIETEN, in *Comment. ad H. Boerh. Aphor. de cogn.
& cur. morb.*

§. V.

Eandem obtinere diuersitatem, ratione cohaesionis partium
vel maioris, vel minoris, in diuerso *sexu*, quotidiana docet expe-
riencia. Evidem negari non poterit, foeminas interdum reperi-
ri robustissimas in respectu ad viros maxime debiles; interim ta-
men de eo, quod ut plurimum sit, valet assertum nostrum. Ean-
dem etiam fert sententiam b. *Frid. HOFFMANNVS, Med. rat. system.*
Tom. III Sect. I. Cap. X. p. 262 dum, *si sexum spectamus*, inquit,
viri plerumque mulieribus pulsus maiorem & citiorem, foeminae
tardiorem & debiliorem obtinent, quippe viri corde maio-
ri & ampliori, firmioribus quoque fibris, & sanguine magis tur-
gecente calido, quam foeminae, instruti sunt, quae vasa habent
laxiora, exiliora & copiosiora. Et quam magna inde elucet Dei,
conditoris rerum creatarum benignissimi, sapientia, dum foemi-
nam per IX. menses solares foetum in utero gerere, atque e san-
guine suo nutrire voluit, ut ad talem in ergastulo suo perueniat
perfectionem, quae ad sui conseruationem requirebatur, dum lu-
cem adspicerit, atque ciulatu suo miserias hasce salutauerit. Ne-
cessario hinc requirebatur maior quaedam fibrarum laxitas, ut eo
magis uterū atque totum abdomen expandi possit, nec foetus, in

*Dissertatio inauguralis medica,
ergastulo suo vi maiori compressi, vterius incrementum impe-
diatur.*

§. VI.

Idem etiam secundum *temperamentorum* diuersitatem vale-
re, quotidie videmus. Melancholicos enim atque cholericos mul-
to firmioribus & rigidioribus instructos esse fibris, prae sanguineis
atque phlegmaticis, quorum fibrae magis flexiles laxioresque de-
prehenduntur, semper obseruare licet. Et sic res quoque se ha-
bet quoad *vitae genus*. Diligens scilicet arator, dum duro labo-
re corpus exercet, atque fibi suisque vietum comparat continuo
labore, quam firma habet omnia, quam robusta! Contra otio &
luxu perditus homo, quam debilis, quam misere viuit!

Meum hic loci non esse puto, caussas talis diuersi partium co-
haesionis gradus, secundum diuersitatem rerum sic dicta-
rum naturalium, inuestigare, dum per hancce consideratio-
nem a scopo meo valde aberrarem; sufficiat itaque saltim
per experientiam probasse, reuera talem obtinere diuersi-
tatem.

SCHOL. Pro diuersitate aetatis, sexus, &c. morbos etiam
quosdam vel magis, vel minus esse periculosos, idque im-
primis etiam propter fibrarum vel laxitatem maiorem, vel
rigiditatem, Excellentiss. EBERHARD, Praeceptor meus ad
vnam mihi colendus, accurate demonstrauit in *Conspct. Med. theor. P. II. gener.*

VII.

§. VII.

Haec, quae hactenus differuimus, in statu naturali continuo fiunt, atque in omnibus occurruunt animalium corporibus. Interdum autem ratione cohaesionis particularum, solidas nostri corporis partes componentium, atque circa texturam & substantiam earum tales a statu naturali fiunt secessiones, ut partes naturaliter molles, atque inter hasce imprimis membranaceae, praeter naturam & contra naturae ordinem cartilaginis naturam assument, immo osseam acquirant duritatem.

§. VIII.

Plures quidem eiusmodi obseruationes adducere possem fide dignissimas; ne vero lectoribus diffusa harum enarratione molestus sim, paucas tantum notare sat erit. Sic Illustr. de HALLER, in *Comment. ad Praele&t. Instit. med. Boerb. Vol. II. p. 241.* sub not. (e), se vidisse, inquit, arteriam aortam ad imam tibiam usque frequentissimis squamis ossicis ita interceptam, ut omnino distendi non possit. Recenseri hic quoque meretur obseruatio celeberr. D. MAVCHART, quam in *Ephem. N. C. Dec. III. Anno IV. Obs. LVIII.* exhibet, qui arteriam magnam paulo supra locum, ubi in arterias iliacas dispercitur, cartilagineam, immo osseam per. 3. pollicum latitudinem inuenit. Celeberr. VATERVS*) in cadavere foeminae septuagenariae, per plures annos asthmate vehe-

*) Vld. Eiusd. Diff. de *Osteogenia naturali et praeternaturali* §. XX.

Vitemb. 1733.

vehementi, cum cachexia et tumore pedum oedematoso laborantis, tandemque, inflammatione in regione lumborum accidente, defunctae, arteriam aortam in exortu suo valde extensam, et per rotum truncum et praecipuos ramos hinc inde in cartilagineam et osseam substantiam mutatam, inuenit, ita ut carotides, subclaviae et vertebrales, nec non emulgentes arteriae in quibusdam locis calamorum solidorum instar hiarent. Notatu quoque dignam exhibent obseruationem *Annal. physic. medic. Wratislauiens.* *Tentam.* XXXVIII. ann. 1726. de ossificatione omnium arteriarum in pede sinistro, ita ut minimi etiam surculi osseam habuerint substantiam, ex abusū potulentī cuiusdam spirituosi, Anglis admodum grati, Punisch dicti, oborta. Vesiculam felleam osseam factam *Ioan. RHODIVS Cap. III. Obs. 3.* annotauit.

§. IX.

Non minus quoque in tumoribus praeternaturalibus osseae concretiones deprehensae sunt. Sic in Sarcocele suppurrata prodeuntia ossicula recenset *Theoph. BONETVS.* Pari ratione pater meus, mihi quam maxime omni animi pietate colendus, casum habuit perquam memorabilem in Sartore quodam, ciue Coburgensi, qui per aliquot annos tumorem gessit in dorso ingentis magnitudinis, quo aperto, cum magna puris copia, exibat ex hoc osseum quoddam concrementum, figuram sceleti gallinae quasi repraesentans, quod a vulgo fascinationi tribuebatur.

§. X.

§. X.

Sed nunc proprius accedo ad ipsum Dissertationis huius argumentum, quod obseruationem sifit, a Patre meo, ad cineres vsque mihi colendo, in sectione cadaueris legali factam, dignamque mihi visam, quae in Specimine inaugurali paulo attentius consideretur.

OBSERVATIO.

Vir XXX. annorum, agrestis, et mediae statura, grauiter vulneratus in capitis anteriori parte, nono post vulnus inflatum die fato suo fungebatur. Pater meus, mihi nunquam sine summa animi deuotione nominandus, ex mandato superiorum ut cadauer inspiceret, atque Sectionem, quam dicunt, legalem institueret, deque lethaliitate vulneris iudicium ferret, sese vna cum Iudice in pagum, vbi vulneratus periiit, conferens, in ipsa cadaueris exenteratione sequentia notatu digna obseruabantur: In capite, vbi vulnus erat inflatum, sublatis integumentis communibus, quae nihil offerebant, quod attentionem meruerit, futura sagittalis, per coronalem transiens, atque os frontis fere totum in medio diuidens, apparebat. Caluaria remota, dura mater erat conspicienda, cuius substantia non solum praeternaturaliter habuit crassitatem, sed & supra orbitam dextram pars quaedam illius faris magna plane ossa erat facta, in qua simul fractura a laesione capitidis violenta reperiebatur; supra sinistram vero orbitam cartilaginea erat meningis substantia. Reliqua omnia in capite secundum naturam erant comparata, si vulnus

B

exce-

excepéris, cuius mentionem hic facere non opus esse existimo. Quum autem a defuncti cognatis aliisque adstantibus referretur, semper illum fuisse valetudinarium, atque continuo modo de capitibz doloribz fuisse conquestum, modo de doloribz in pectore atque spirandi difficultate, modo etiam de cruciatibus in abdomen, necesse esse iudicabatur, vt etiam reliquae cauitates, thorax nempe atque abdomen, aperirentur, atque viscerum in iis contentorum conditio inuestigaretur. Aperto sic thorace, pulmones apparebant coloris atro-rubentis, collapsi & valde corrupti, simulque in sinistro latere ad pleuram adnati, in ipsa autem cauitate thoracis sinistra parua seri extrauersati quantitas collecta fuit reperta. Ventriculi cordis ambo a sanguine plane fere erant exhausti & vacui, in sinistro autem cordis ventriculo polypus albus, tenax, durus atque compactus, plures emitens fibrillas, inueniebatur, qui, extractus ex aorta, vnius pedis & quinque pollicum longitudinem habuit; dextrum ventriculum pariter eiusmodi concrementum, 8 $\frac{1}{2}$ pollicum longitudine & ad pulmonalem arteriam progrediens, occupatum renebat. Tandem aperto abdome nulla quidem in ventriculo, intestinis atque reliquis in hoc cauo contentis visceribus erat conspicienda labes, nisi quod hepar pallidum magis, attamen non scirrhosum, vesiculaque fellea bile flava tenuiori semirepleta comparuerit. Etiamsi vero omnia fere, in cauitate hac contenta, videbantur sana, tamen multa seri extrauersati copia, ad mensuram vnam, simul in cauo hocce fluctuabat.

§. XI.

§. XI.

Allicuit me obseruatio haec, certe non frequens, vt in Specimine inaugurali de ossificatione durae meningis agere constituerim, & quidem ita, vt in casu hoc speciali praecipuas huius ossificationis caussas inuestigare mihi proposuerim.

§. XII.

Sicuti vero Physiologia viam sternit ad morborum notitiam facilius consequendam; sic, vt modum huius praeternaturalis ossificationis eo accuratius intelligere possimus, ante omnia operae pretium esse, viderur, quaedam praelibare de osteogenia naturali.

§. XIII.

Sed qualem hic video etiam inter clarissimos viros *) dissensum! Ut nil dicam de absurdis Veterum opinionibus. Adeo multae atque magnae inter praeclarissimos rei medicae scriptores reperiuntur dissensiones, vt limites Dissertationis excederem, quando omnes diuersas hasce sententias, quas fouent de ossium generatione, adducere, multo magis, quando singulas expendendo, quaenam eorum sit verisimillima & ad ossium phaenomena explicanda aptissima, ostendere vellem. Me etiam eum non esse, qui tantos Viros vel laudare, vel taxare possit, satis scio.

*) Pertinent huc imprimis *Aristoteles*, *Eustachius*, *Riolanus*, *H. Fabricius*, *Diemerbrockius*, *Bosterus*, *Bartholinus*, *Steno*, *Lemery*, *Gagliav-*

di, Malpighius, Vaterus, Plinerus, Hebenstreitius, Albinus, Kerkringius, Nelsbirtus, Haruacus, Hauerfius, &c.

§. XIV.

Quid itaque in tanta rerum perturbatione faciendum? praecipue cum tota fere controuersia, & omnis dissensus obseruationibus nitatur anatomicis, quibus adhuc sum destitutus. Non tamen plane despero; ex tot enim diuersorum Auctorum obseruationibus quaedam saltim generalia elicere licet, nullo modo neganda, quae in explicatione ossificationis praeternaturalis multum lucis affundere posunt.

§. XV.

Ab exortu vsque ad perfectionem ossa variis successivis mutationibus esse obnoxia, omnium Auctorum satis luculenter declarant obseruationes. Sicuti enim totum hominis rudimentum primis post conceptionem diebus est massula quaedam informis, ad tactum liquefcens; ita etiam ossa ab initio mollia esse atque fluida, obseruationes docent. Sic Clar. ALBINVS, in Iconibus suis ossium foetus humani, *ab initio*, inquit, (*natura ossium cartilaginea*) gelatum tenerum refert & molitudine & habitu. Vidi hoc saepius in pusillis embryonibus, in quibus craniis quaedam partes & spinae & thoracis, & quaedam artuum rudimenta cognosci poterant. Sponte tabescabant, lenique calore exhalante bumido ita auolabant, vt reliquum vix maneret: neque se, nisi sub aqua, sustinebant, in qua fluctabant, cuius-

cuiusque agitatione non valde magna dissoluebantur. Haec etiam confirmat Illustr. BOEHMERVS, Praeceptor meus omni animi pietate mihi colendus, in *Instit. osteolog.* §. XXV. p. 12. vbi, se aliquoties vidisse mucosos quasi embryones 1. vel 2. mensium, qui in tepida aqua dissolui incipiebant, notauit. Et sicuti ab initio mollia sunt ossa, ita ea, durissima etiam facta, iterum in talem gelatinam redigi posse, docent experimenta cum machina Papiniana instituta.

§. XVI.

Mollia sic atque mucosa quasi ossa secundo iam post conceptionem mense incipiunt solidiora fieri, ita ut in quibusdam ossibus tunc puncta sic dicta ossificationis, secundum CL. ALBINI atque KERKRINGII obseruationes, iam conspici possint. Successive enim particulae terrestres, iam in mucoso hocce corpusculo praesentes, per interpositam gelatinam atque succum nutritium, in interstitia minora sese insinuantem, magis coadunantur, atque cohaesio particularum magis augetur, siue nunc membranacea euadant ossa, ut Cel. KERKRINGIVS vult, siue cartilaginea, ut contendit Clariss. ALBINVS, siue partim membranacea, partim cartilaginea fiant.

Hac in re praeципue inter se dissentient KERKRINGIVS atque ALBINVS. Medium itaque tenere optimum esse puto, dum saltim per sana ratiocinia eo ducimur, ut maiori probabilitate afferere possimus, quaedam ossa, & imprimis fistulosa atque plana, tertio & sequentibus mensibus

membranacea fieri; spongiosa vero cartilagineam induere substantiam. Quodsi enim consideraras ossa fistulosa calcinata, plurimas obseruamus lamellas, sibi inuicem super impositas, quae in spongiosis ossibus calcinatis detegere non licet, sed merus contextus cellulosis apparet. Sic etiam in planis ossibus infantis iam nati fibras longas, sibi inuicem super impositas & radiorum instar excurrentes, perspicue discernere possumus; cartilagines vero ex brevioribus constant fibris (per princip. anatom.), immo sic dicta fontanella, seu fons pulsatilis, in infante recenter nato conspicuus, plane membranaceus est, & successiue offescit.

§. XVII.

Procedente posthac tempore crescunt magis, magisque etiam indurantur ossa, ita ut consueto partus termino quaedam ossa iam perfecta fere euadant, plurima tamen in excluso iam foetu adhuc sint imperfecta, immo quaedam vix inchoata, & longum post tempus ad summam demum perueniant perfectionem, ita, ut quando sceleton foetus IX. mensium consideramus, ossium compages, quae, in adultis durissima & rigidissima, totius corporis necessarium fulcrum existit, propter plurimas adhuc interspersas cartilagines molles, tam flexilis adhuc sit, sicuti, praeter alios fines, pro necessaria in partu complicatione requiritur *). Cranii enim ossa membranis tantum intertextis laxe inter se cohaerentia videmus; ossa fistulosa ex parte

tan-

*) Vid. celeberr. D. TREW Diff. epistol. de differentiis quibusdam inter hominem natum et nascentium intercedentibus.

tantum osseam habent duritatem, maxima adhuc eorum pars est cartilaginea, in diaphysi puto, epiphyses nondum murantur in apophyses, sed totae sunt cartilagineae, atque saepius demum vigesimo anno in apophyses transeunt.

§. XVIII.

Considerata nunc successiva ossium mutatione, nostrum erit, significare, qua ratione ossa ira, vti modo notauiimus, successive quasi euoluantur, crescant, & ad talem perducantur consistentiam.

§. XIX

Vti generatim principia partium corporis nostri solidarum constitutiva liquido animali inexistunt; sic etiam succus, generandis perficiendisque ossibus aptus, iam in sanguine later, atque cum sanguine aduehitur per arterias, ac iusta quantitate, nec non determinato modo per vasa ossa perreptantia, & distributa per totam illorum substantiam, adponitur, atque in interstitia fibra rum elementarium insinuatur, vsque dum ad determinatam dimensionem atque definitum incrementi terminum sint perducta, tandemque ex ipsius naturae corporis humani legibus vteriori horum incremento obex ponatur.

Infantis enim recens nati ossa ita sunt comparata, vt fere tota sint vasculosa, quod injectiones anatomicae docent; ideoque ossa infantum semper magis rubicunda apparet adulorum ossibus.

§. XX.

§. XX.

Vt pars corporis nostri solida incrementum capiat, requiritur, vt continuo nouae adponantur particulae, atque in interstitia fibrarum elementarium penetrant (*per princ. physiol.*). Iam autem §. anteced. demonstrauimus, qua ratione id fiat in ossibus. Sed ad iustam tantum atque determinatam perueniunt ossa dimensionem in statu naturali, neque eam transgredi possunt. Requiritur enim, si nouae particulae adponi debent, vis quaedam, humores, in quibus iam latent particulae hae, propellens ad partes; vis autem haec a cordis atque arteriarum actione dependet, quae determinata tantum est (*per princ. physiol.*). Quodsi igitur resistentia partium tanta erit, quanta est vis cordis humores propellens, nullum tunc existit partis vterius incrementum. Iam vero successiva nouarum particularum appositione, inque fibrarum interstitia penetratione, vti etiam a vasorum minimorum, substantiam ossium perreplantum, compressiones atque coalitu robur fibrarum, ossa constituentium, ita tandem augetur, vt aequilibrium restituatur inter resistentiam atque impulsu sanguinis, cordis vi ad ossa propulsu atque aduecti. Ergo etiam vterius ossium incrementum tandem cessare debet. Quamdiu vero vis cordis resistentiam superat, tamdiu etiam ossa in omnes dimensiones augeri debent.

§. XXI.

Debita ossium consistentia atque durities dependet praecipue a cohaesione particularum terrestrium, aucta per interpo-

itas

sitas partes salinas, oleosas atque aquosas. Docet hoc imprimis ossium analysis chemica atque calcinatio. Ignis enim torturae quando ossa subiiciuntur, phlegma, spiritus, sal volatile & oleum, remanente terra, extrahuntur *). Quodsi calcinantur ossa, expulsis humidis, salinis atque sulphureis ignis vi partibus, remanent terreae, ita plus minus inter se cohaerentes, ut figura ossis plane maneat immutata, sed friabilis admodum est illius substantia, atque ex mera terra composita.

§. XXII.

Praemissis nunc generalioribus de osteogenia naturali, iam ad ipsam praeter naturalem durae matris ossificationem progressimur. Plures equidem de membranae huius ossificatione iam prostant obseruationes, sed in omnibus mihi notis parua ut plurimum pars circa processum falciformem ossea est reperita. Sic portiones quasdam durae matris, iuxta sinum falciformem osseatas, exhibent *Acta Med. Berol. Dec. I. Vol. IX.* p. 56., & *VATERVS in Prooem. Diff. de Osteogen. natur. et praeter natur.* duas eiusmodi enarrat obseruationes, aliamque ex *BONETO, Lib. I. SeEt. III. Cap. VII.* in ipsa Diff. allegauit, vbi processus falciformis quoad maximam partem in osseam substantiam fuit mutatus. Ut autem ordine procedamus, quum, secundum *HIPPOCRATIS* *) effatum, corporis notitia sit principium sermonis in arte, merito hinc anatomica praemitenda erit

C durae

*) *Vid. Illustr. BOEHMERI Institut. osteolog. p. 18. §. XXXVII.*

*) *Lib. de Flatibus.*

durae meningis consideratio, dein vero exponendae caussae praeternaturalis talis osseae metamorphoseos.

§. XXIII.

Membrana illa crassa atque robusta, in duas lamellas diuidua, parum aut plane non sensibilis, ex fibris validis, densis, in varia directione positis, atque vasis tam arteriosis, quam venosis, vario modo illam transcurrentibus, conflata, nec non paucis neruosis fibrillis praedita, mox sub cranio sita, cerebrum cum cerebello oboluens, defendens, atque ab inuicem distinguens, *durae matris* nomine ab Anatomicis insigniri solet. Laxe quidem naturaliter superficie cranii internae adhaeret superius, sed arctius inferius, firmius adhuc circa processus petrosos atque os sphenoideum, firmissime tandem circa futuras, quibus intermediis cum periosteo cranii externo conspirat.

Quandoque, sed rarius, in statu praeternaturali accidere solet, ut dura mater arctissime caluariae adhaereat, ita ut sine dilaceratione auelli nequeat.

§. XXIV.

Superficies durae matris externa ambienti crano superius, inferius, atque lateraliter per minima vasa sanguifera, ex dura matre in crani substantiam penetrantia, alligatur, id quod imprimis punctula illa rubra, dissesto atque aulso cranio in illa apparentia, testantur. Interna autem superficies polita magis,

quidem in genere plures eiusmodi caussas nobis tradit Pathologia, quas, si animus esset recensere, admodum prolixam conscribere possem ossificationis praeternaturalis aetiologiam. Sed quum eorum enumeratio limites Dissertationis nimis extenderet, satis erit, in speciali nostro casu, speciales tantum caussas, talem partium cohaesionem in dura matre determinantes, in medium proferre.

§. XXX.

Duram matrem iam per se esse membranam satis robustam, ex fibris validis & durioribus compositam, §. XXIII. iam indicauimus. Fibras autem tendineas esse, nullus dubitabit, qui attentius illas considerauerit. Iam vero later quasi dispositio quaedam in tendinibus ad ossificationem; semper enim, & in naturali statu, rigidae magis sunt fibrae tendineae, tenaciores atque albicantes, atque per experientiam anatomicam constat, in senilibus subiectis fere semper tendinosas partes esse rigidiores, durioresque. Et quem fugit obseruatio in gallinis satis frequens, tendines earum circa pedes saepius iam unico anno plane ossescere. Quodsi itaque iam adsit talis dispositio in durae matris substantia, eo facilius, accedentibus aliis caussis, talis mutatio contingere debet.

§. XXXI.

In numerum vero harum caussarum ante omnia venire videatur motus sanguinis progressiuus per durae meningis substantiam
in

nem, per arterias ad cerebrum partesque hoc ambientes delatum iterum reuehentes, postquam per venas cerebri atque durae meningis in illos fuerit depositus. Plures quidem huiusmodi canales in durae matris substantia statuunt Anatomici recentiores, omnium vero mentionem hic facere non opus esse existimo. Quinque tamen eorum praecipui sunt: longitudinalis nempe superior atque inferior, bini laterales, atque quintus, a loco, quo occurrit, *torcular Herophili* dictus. Superior longitudinalis, canalis est, qui a fronte versus occiput suturae sagittali παρελληλῶς protenditur, donec in sinus, laterales vocatos, ad angulos obtusos terminetur. Sinus longitudinalis inferior est vas triangulare, inaequalis diametri, paulo profundius sinu longitudinali superiori situm, ita, vt inter superiorem atque inferiorem sinum, inter ambo cerebri hemisphaeria portio tantum intercedat durae matris, ad callosum corpus vsque perpendiculariter dependens, *falx* nominata, cuius margini est annexum. Laterales bini sinus non nisi cerebro exempto conspici possunt, atque initium capiunt a sinu longitudinali, & in medio spinae cruciatae ossis occipitis, vel sulco huius spinae atque ossis temporum, progreduintur vsque ad foramen iugulare dictum, tandemque in facos venarum iugularium terminantur. Quintus denique a regione glandulae pinealis prouenit, atque concurrit cum longitudinali superiori binisque lateralibus. Reliqui sinus, qui a recentioribus huc referuntur, minores sunt, atque ita in-

ter

ter se coniuncti, ut sanguis in omnibus hisce contentus tandem in sinus laterales, atque exinde ad saccos venarum iugularium deponi possit.

COROLLAR. Non autem semper necesse est, ut sanguis ex sinus hisce veniat in saccos venae iugularis; secundum WINSLOWIVM enim modo in venam iugularem internam, modo in externam, modo in vertebrales abire potest, atque ad cor iterum redire.

§. XXVI.

Neruosa praeterea dura mater quasdam accipit fibrillas, a pari neruorum quinto prouenientes. Num autem reuera adsint glandulae PACHIONI dictae, ut nonnulli contendunt, in dubium adhuc a plurimis vocatur, qui cum WINSLOWIO clamant: *Caveas, ne corpuscula praeter naturam exorta pro glandulis babeas.* Si vero adsunt, reuera admodum exiguae esse debent. Denique vti dura mater, ex communi Anatomorum atque Physiologorum sententia, neruis a cerebro, cerebello atque medulla spinali prouenientibus praebet inti lucra, ita etiam multas emitit haec membrana productiones, tam extra cranium per suturas atque fissuras illius, quae firmiter suturis hisce sunt adnatae, quam etiam intra ipsam cerebri atque cerebelli substantiam quasdam format duplicaturas, ab interna eius lamina prouenientes. Sed sufficient haec, quum vltior explicatio, ad scopum meum consequendum, superflua esse mihi videatur.

§. XXVII.

Reliquum nunc est, ut *causas* eruamus ossificationis durae matris, siue, quod idem est, ut ea proponamus, quae rationem talis osseae durae meningis metamorphoseos in se continent.

§. XXVIII.

Vti ossa ipsa non statim ab initio dura evadunt, sed mollia admodum sunt, atque procedente tempore, dum nempe partes crassiores magis ad se inuicem accedunt atque maiori vi inter se cohaerent; ad debitam suam perueniunt consistentiam; sic quoque in praeternaturali ossificatione eandem successiuam obtinere mutationem assero, atque *causam* ipsius praeternaturalis ossificationis *proximam* in tali partium, duram matrem componentium, cohaesione consistere contendo, quae requiritur ad consistentiam osseam acquirendam.

Successiuam esse hancce mutationem, ex obseruatione nostra clare apparet, dum cartilaginea adhuc pars quaedam fuit reperta, atque reliqua, praeter ossefactam iam partem, portio, plane immutata fuit. Natura enim nunquam agit per saltum, ideoque & in praeternaturali statu omnia gradatim & successiue fiunt.

§. XXIX.

Quaecunque itaque caussae ita sunt comparatae, ut cohaesionem partium, duram matrem componentium, adeo augere possint, ut ad osseam peueniat duritiem, *caussae* erunt *remotae*. Iam qui-

magis, atque continuo subtili quodam humore illinita, cum partibus subiectis contigua tantum est. Vasa illam perreptantia & mirabiles eorum flexurae, pulcherrimaeque distributiones & anastomoses, iucundum admodum praebent adspectum, quando arte materia quadam subtili ceracea replentur. Sunt vero haec vel arteriosa, vel venosa. Arteriosa, & quidem ea, quae ab Anatomicis arteriae durae matris anteriores atque mediae siue spinosae nuncupari solent, ex carotide externa prouenient; intrat enim haec cranium per fissuram sphenoidalem atque foramen ossis sphenoidalis, spinosum dictum, & vbique in durae matris substantia distribuitur. Posterior durae matris arteria ex vertebrali oritur, per foramen ossis occipitis magnum ad cauum cranii tendente; singulae hae sanguinem nutritioni durae meningis inferuentem aduehunt. Reuehitur autem sanguis, per arterias dictas allatus, partim per venas, quarum ut plurimum binae vnam arteriam comitantur, & valuulis destitutae sunt, partim per peculiaria vasa in dura meninge conspicienda, ab Anatomicis *sinuum* nomine insignita, quae ideo a **GALENO** *) iam ratione officii sui venae durae matris, vel ventriculi durae matris nuncupata fuerunt.

§. XXV.

Sunt autem sinus hi canales robusti, triangularis figurae, lamellis durae matris a se inuicem diductis inclusi, sangu-

C 2

nem,

*) Lib. IX. de Admin. anar.

in statu quoque naturali tardior. Quo tardior enim est sanguinis motus per vasā, eo facilius partes, humorem istum constituentes, tam inter se, quam cum vasorum lateribus cohaerent, atque hac ratione tandem liquidum hocce plane subsistere cogit. Subsistente atque stagnante sanguine, vasā, in quibus stagnat, distenduntur atque turgescunt; hoc autem fieri non potest, quin alia minora, in propinquō sita, comprimantur. Omnes vero corporis partes, se immediate contingentes, cohaerent, & quo plura dantur puncta contactus, eo maior est cohaesio (*per princ. phys.*). Quo magis itaque comprimuntur vasā, eo proximius pareties horum vasorum ad se inuicem accedunt, cohaerent, tandemque plane coalescunt. Stagnans in vasis sanguis distendit latera vasorum, ideoque particulae elementares, vas, seu latera vasorum constituentes, a se inuicem successiue magis remouentur; manent itaque interstitia, quae sanguis stagnans, mora atque calore resolutus, ingreditur, atque sic et in ipsis distensis vasis cohaesionem auger.

§. XXXII.

Motum progressiuū sanguinis per duram matrem etiam in statu naturali valde esse retardatum, ex iis praecipue concludere licet:

- 1) Impetus sanguinis, ad duram matrem tendentis, per miras vasorum incuruationes atque reflexiones imminuitur (*per princ. physiol.*), siquidem arteriae durae matris ex carotide externa

externa atque vertebrali oriuntur, (per §. XXIV.), quae ante cranii ingressum varias formant curvaturas (per princ. anatom.).

- 2) Dura mater ubique crano est adnata, & quidem tis in locis praecipue firmiter annexa est, vbi suturae formantur (per §. XXIII.). Hinc vasa sanguifera, arteriae imprimis, adeo arce crano annexae, in systole atque diastole sua impeditae, tardius mouent sanguinem, dum non tam valide in sanguinem agere possunt.

Forte nostro in easu haec est cauſa, quare durae matris substantia supra orbitas ita fuerit mutata, dum sutura sagittalis fere usque ad radicem nasi progrediebatur.

- 3) Venae durae matris valuulis sunt destitutae; nunc autem valuularum usus consistit in promotione motus *); necessario itaque, cum adminiculo hoc careant venae durae matris, sanguinis motus per venas tardior erit.

- 4) Sanguis ad duram matrem per arterias vectus, per venas minores reducitur ad sinus, qui sunt vasa maioris diametri; sanguis itaque ex vasis minoris diametri in vasa ma-

D

iora

*) Vid. Excell. EBERHARDI Consp. Med. theor. Part. I. p. 80.

iota transit. Cum vero celeritas fluidi eo gradu imminuitur, quo diameter vasis augetur, utique etiam ex hoc fundamento retardari debet sanguinis motus per duram matrem.

§. XXXIII.

Demonstrauiimus impraesentiarum, motum sanguinis per durae meningis substantiam iam in statu naturali admodum tardum esse, atque indicauimus noxas, ex tardiori illo motu facile oriundas. Quo plures itaque concurrunt caussae, & quo grauiores, motum sanguinis tardiorum residentes, eo facilius etiam noxiis tales effectus inde prouenire debent. Nunc autem in easu nostro plures eiusmodi occurruunt caussae, quas breuiter enumerare animus est; ergo & eo facilius talis praeternaturalis durae matris mutatio inde resultare potuit.

§. XXXIV.

Refero autem huc imprimis 1) *spissitudinem humorum.* Quin spissitudo sanguinis sit caussa motus progressiui tardioris, nullum plane est dubium. Ad humorum enim motum progressiu-

gressuum debitum, vasorum actionem in fluida, horumque reactionem requiri in vasa, Physiologia docet. Sed determinata esse debet fluidorum consistentia, quando vasa debite in illa agere debent, alias enim si nimis resistunt fluida actioni vasorum, minor illa erit in fluida, quam requiritur ad humores spissos propellendos. Pone nunc, actionem vasorum non sufficere ad sanguinem propellendum, necessario tunc tardior erit motus humorum, praecipue cum spissiores humores etiam vasorum parietibus magis adhaereant. Quo magis itaque jam in statu naturali est retardatus sanguinis motus, eo difficilius tunc, quando accedit spissitudo eiusdem, per vasa traicitur, eoque facilis plane subsistet. Spissitudinem autem sanguinis reuera locum habuisse in subiecto nostro, non solum testantur polypi satis conspicui, sed & ipsum subiecti vitae genus, quod aliquam attentio rem mereretur considerationem.

§. XXXV.

Rusticus erat (§. IX.), & rustico vixit more, duraque corporis habuit exercitia. Non autem solum duris laboribus rusticis humores inspissauit, totumque corpus magis rigidum effecit, sed & excessibus grauioribus in diaeta, siquidem cre-

brius nuptiarum solemnii interfuit, atque lucri caussa variis instrumentis musicis praesentium aures pedesque exercuit. Cui enim notus est mos rusticorum nostrorum in nuptiarum celebratione, is facile perspicet, quantum exinde proueniat datum. Cibis hac occasione vtuntur omnis generis. Acida, dulcia, laeticinia, varii generis farinacea, fumo indurata, assata, pisces, ingurgitantur atque in ventriculo commiscentur. Cibis hisce tum variae indolis adeo ventriculum adgrauant, vt reuestra mirandum sit, tales homines non praesentaneam sentire noxam. Qualis autem inde chylus? Non aliis, quam crudus esse potest. Sed haec nondum sufficient, Cereuisiam crassiorrem atque vini spiritum tali occasione adeo in deliciis habent, vt crebrius repetitis vicibus ea ingurgitent, & quidem semper sat magna quantitate, praecipue autem illi, qui chordarum muscularum sono praesentium aures delectant, tali tempore mox ex abusu spiritus vini omnium fere sensuum vsu sunt orbati. Quid vero chylus crudus, cereuisiae crassiores, atque praecipue spiritus vini valeant in inspissandis nostris humoribus, pathologorum non plane ignarus praceptorum statim perspicet.

§. XXXVI.

Ad caußas, motum progressuum sanguinis tardiorē reddentes, pertinet quoque 2) *acrimonia sanguinis*. Praesente enim acrimonia, vasa irritantur magis; siveque praeter naturaliter coarctantur & spasmī oriuntur. Quodsi autem vasa, imprimis minora, nimis contrahuntur, necessario motus sanguinis progressius per illa impeditus esse debet, & quidem eo magis, quo spissior simul fuerit sanguis. Acrimoniam autem humorum in nostro subiecto cum spissitudine iunctam fuisse, non difficile erit, probare. Cuilibet enim pathologiae gnaro notum est, spissitudinem humorum simul etiam procreare acrimoniam eorundem. Quum igitur ex §. anteced. patet, spissitudine humorum satis insigni laborasse subiectum hocce, non aliter sane fieri potuit, quin etiam acrimonia inde sit exorta.

§. XXXVII.

In numerum harum caußarū 3) *congestiones sanguinis versus caput* veniunt. Qui enim intelligit, qualis in corpore nostro sit consensus inter pulmones atque caput, congestiones continuas adesse debere non negabit. Simulac enim respiratio est impedita, refluxus etiam sanguinis a capite impeditus (per princip. physiol.). Quando autem sanguis maiori copia ad partem quandam ruit, quam eodem tempore redire potest, tunc dicimus adesse congestionem. Pone nunc, san-

30 *Dissertatio inauguralis medica, de Ossificatione durae &c.*

guinem maiori in copia ad partem quandam abire, quam iterum reduci possit, necessario tunc ea omnia erunt in promtu, quae de motu sanguinis tardiori atque spissitudine differimus. Nunc autem cum adeo corrupti fuerint pulmones, atque subiectum semper de respirationis difficultate fuerit conquestum, nullum ulterius erit dubium, respirationem fuisse laesam; ergo & congestiones continuas adfuisse necesse est. Et quid tandem dicam de polyposis illis concrementis, in duobus cordis ventriculis repertis? Quamuis quidem id mihi non sumo, ut contendam, illa iam incipiente durae meningis ossificatione extitisse, atque fundamentum quasi talis praeternaturalis durae matris mutationis posuisse, sed potius affirmem, illa esse ipsius ossificatae durae meningis consecatoria quasi; tamen negandum non erit, concrementa ista insimul ita concurrenria, refluxum sanguinis a capite difficiliorum, atque tali ratione congestiones auctiores reddidisse. Vnicum denique addere licet, antequam finem faciamus; L. B. mihi exorandus est, ut haec qualia cunque conamina bene accipiar, & si quid minus accurate dictum fuerit, id pro humanitate sua excusat.

T A N T V M .

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

*Immutatam tibi hanc cum insigni voluptate reddo, quam mihi per-
legendam & diudicandam tradidisti, Dissertationem, ut, a te
profeta & proprio tuo marte elaborata, tota etiam tua sit, atque
eo securius egregium profectionum tuorum exhibeat testimoniam.
Quamus enim apud eos, quibus innotuijisti, nulla indigens commendatione,
tam morum elegantiam, quam diligentiam quod attinet: velle tam
pro eo, quo erga te sum, amore, ut & alii, utraque te ornatum
esse cognoscant. Neque nunc dubito, fore, ut omnes, publicum hoc
tuare diligentiae specimen perlegentes, solidamque singularis propositi
casus resolutionem considerantes, in te non tantum eruditionem, sed
etiam, sine qua illa neque satis firma, neque perfecta exstat, virtutem
agnoscant, meque, in te laudando ornandoque, minus propensae meae
erga te voluntati indulgere, quam veritati satisfazere, iudicent.
Non immerito sane HIPPOCRATES in Lege, quam promulgavit, di-
xit: Qui Medicinae scientiam sibi vere & apte comparare vult, is
horum omnium compos esse debet, ut naturam natus sit, doctri-
nam, locum studiis aptum, institutionem a puer, industriam &
tempus.*

tempus. Prouti haec ergo sunt ad efformandum Medicum bonum necessaria, ut, uno tantum deficiente, optum Medicum nasci non patiantur: ita contra ea ex omnium in iuuenie confluxu merito indicamus, fore, ut verus euadat Medicus. Nullum vero horum in TE, PRAENOBILISSIME CANDIDATE, desideratur. Quomodo enim TIBI, egregius animi dotibus imbuто, & ad summa quaeruis nato; Patrem, Virum eximium, virtute & eruditione clarum, Praxi amplissima frumentum, eardemque non minus feliciter exercentem, natio; cum laudabili & inviudenda diligentia atque assistitate Praeceptorum TVORVM, tam Jenae, quam Halae, per aliquot annos praelationes frequentanti; quomodo, inquam, TIBI, aut natura, aut doctrina, aut locus studii aptus, aut institutio a puer, aut industria, aut tempus, vel defecit, vel deesse potuit? Quae cum ita se habeant, iesdenique adhuc morum integritas accedat (de qua, si quis alius, certe ego, quotidianus ferme suorum TVORVM comes, testari possum); non video sane, quid in hoc ornamentorum confluxu, ex iis adhuc in TE desiderari queat, quae HIPPOCRATIS Lex edixerat sapientissima. Quid? pura adhuc praestiti. Eruditionem enim virtute temperasti, cum illam hac demum summum suae adipisci posse perfectionis cacumen recte arbitratus sis. Gratulor itaque TIBI vitam adeo digne, adeo egregie actam, summosque in Medicina honores, propediem TIBI conferendos, dum praemia sunt TVAE diligentiae et virtutis. Patri optimo, Amico integrissimo, de filio adeo excellentis ingenii, qui paterna premit vestigia; Patriae autem, Orbi litterato et aegrotis de Medico bono gratulor. Tandem, CANDIDATE DILECTISSIME, vine velix et diutissime! Recordare semper, virtute TE et industria TVAS promeruisse landes. Huic ergo viae impostorum quoque insisse, et ab ea nesculi quidem adeo contaminati malitia TE abduci patiare. Si ita viues: vere viues. Vale, de meo in TE nunquam intermorituro amore certissime persuasus! Dab. in regia Fridericiana, d. XXVII. Septembris. MDCCCLXIV.

00 A 6283



SL

Zetwo ✓

DIS
PAL
VOL



2.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
OSSIFICATIONE
D V R A E M E N I N G I S
SINGVLARI OBSERVATIONE
CONFIRMATA

QVAM
FAVENTE SVMMO NVMINE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNER,
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS, MEDICINAE
ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROF. PVBL. ORDINARIO, FACVLTATIS MED. SENIORE,
REGIORVM ALVMNORVM EPHORO, IMPERIAL. ACAD. NATVR. CVRIOS. PRAESIDE,
ET COMITE PALATINO CAESAREO, REGIARVMQVE ACADEMIAR.
SCIENTIAR. LONDINENS, BEROLINENS. ET MONSPLEIENS.
SODALI,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
G R A D V D O C T O R I S
PRO
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS
DIE XXIX. SEPTEMBER.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
FRIDERICVS LVDOVICVS ALBRECHT,
COBVRCENSIS.
HALAE, AERE BEYERIANO.